

nullam in sua Censura mentionem facit, quamvis Originum meminerit, quas quoque, ut diximus, spurias esse, ex quorundam iudicio, pronunciavit. Recentiores autem Eruditi, qui veterum Scriptorum fragmenta collegerunt; & præcipue Aufonius Popma, Frisius, qui Catonis fragmentorum collector fuit, & eadem notis illustravit, & Joannes Meursius, qui observationes edidit in fragmenta de re rustica; immo omnes alii, qui apud Blount M. Catonis scripta laudarunt, alium silentium præfati libri de falsis fecerunt.

At admittamus Gellio, librum istum vere Catonis fuisse; haud tamen ex verbis illius, quod ipse infert, jure ac vere inferendum esse, vel inferri posse, concedemus. Siquidem non alia laudantur Catonis verba, quam hæc: *Decemviros Brutiani verberavere*. Nuperus autem Scriptor Gallus hæc Catonis verba producit: *Jussit illius vestimenta detrabi, Et flagro cædi, quem subinde Brutiani verberaverunt; de suo addens; nempe ii Licetorum officio fungebantur*. Ex his solis verbis Gellius depromit omnia illa, quæ superius excrispsimus; ut Sigonio interprete habemus, lib. 2. de antiqu. jur. Sen. Rom. l. 15. v. licetoribus: *Punico autem bello confecto, qui Magistratibus in Provincia apparerent, eos fere a Brutiis fuisse; unde Brutianos dictos tradit Gellius, qui caute exponens, cur quendam a Brutianis verberatum Cato dixisset, ait: Romanos egre passos, Brutios Populos primos totius Italiae ad Hannibalem defecisse, Et pulsos victisque Pænis, Brutios ignominia causa nec milites scripsisse, nec pro sociis habuisse, sed Magistratibus, in Provinciam euntibus, parere, ac præministrare, servorum vice, jussisse . . . Quod a Brutiis essent, Brutianos appellatos, &c.*

Quod